Digitized by Google

# INVENTA NOVA
## DE VI
# DEPHLOGISTICANTE CARBONUM
## EJUSQUE INSIGNI USU IN VARIIS OPERATIONIBUS CHEMICIS.

Auctore
*TOBIA LOWITZ.*

*Convent. exhib. die* 27 *Sept.* 1787.

§. 1.

Etsi in ea dissertatione, quam haud ita pridem Ill. Academiae Scientiarum offerre mihi perhonorificum fuit, (*) jam egi de nonnullis applicationibus ad perficiendas varias praeparationes chemicas, ex detecta a me proprietate carbonum, phlogiston via humida attrahendi, petitis: eas tamen hic succincte repetere, non incongruum aut a re alienum esse duco, dum iis nova quaedam superaddere et Ill. Academiae benevolo examini submittere animus est, ut, quae hac in re detegere mihi licuit, uno obtutu perspici et secum invicem conferri queant. Primam proprietatis huius Carbonum dephlogisticantis detegendae occasionem praebuit mihi peculiaris illa *Acidi Tartari* proprietas, qua nempe acidum

(*) Dissertationis, cuius hic fit mentio, germanica lingua conscriptae, versionem latinam Auctor proximo Actorum Tomo reservat.



Digitized by Google